

est bonorum in Deo naturaliter insidentium per gratiam transitio. » Sanctus autem Cyrillus citans hanc Domini verbum : « Pacem meam relinquo vobis; » ait : « Hanc pacem dicit suam, ut proprium bonum sibi insitum. » Et in decimo quarto sermone Thesaurorum, pariter istud asserens : « Qui credit in me, habet vitam æternam, » — « Tanquam natura sibi insitam, inquit, et essentialiter inmanentem vitam se daturum credentibus in se participetur; procedens enim a Patre, omnia hujus naturalia possidet, vita autem est una ex Dei naturalibus. » Vides dignis datam esse hanc vitam eamque esse Deo natura insitam, haud vero esse ipsam naturam : una est enim natura divina, illa autem vita est una ex Dei naturalibus. Et tanquam in natura insidens, est ipsa increata; et qui dixit eam esse unam ex Dei naturalibus, sic et plura inesse Deo naturalia et esse pariter increata indicavit. Ideo, juxta eundem, Filius omnia Dei naturalia possidet. Ubi sunt qui dicunt unum esse increatum, non Deum aut res divinas vocantes simpliciter, tum naturam divinam et ejus personas, tum cuncta altissime Trinitatis naturalia et personalia, sed eandem essentiam a creaturis separantes? Tanquam si affirmarent solem esse fulgidum, sed caligine plenos ejus radios, vel plures esse soles, quia et hi sunt lucidi.

ὡσαν μόνην τῶν κτιστῶν ἐξείροντες; ὡς περ ἂν εἰ τῶ μὲν ἡλίῳ μετεῖναι διεθεδοιοῦντο τῆς λαμπρότητος, τῶ δὲ εἶναι σκότους τὰς περὶ αὐτὸν ἀκτῖνας, ἢ πολλοὺς ἡλίους, ἐπεὶ φῶς εἶσι καὶ αὐταί.

Theot. Recte, o Theophanes, talia dicere pro veritate non dubitasti, nihili æstimans te multis displicere, verum congruam tibi ducens laudem non ab hominibus, sed a Deo venturam et nunc et in futuro sæculo, propter hujusmodi sermones.

Theoph. Deum decet laus, frater Theotime, nunc et in sæcula, qui dedit sermonem in aperitione oris nostri.

ἄλλῳ κατὰ τὴν χάριν ἢ ἀφομοίωμα. Ἐν δὲ ταῖς θεολογικαῖς κεφαλαίοις φανερωῶ φησὶν· « Ἡ τοῦ Θεοῦ βασιλεία τῶν προσόντων τῷ Θεῷ φυσικῶς ἀγαθῶν κατὰ χάριν ἐστὶ μετὰδοσις. » Ὁ δὲ ἅγιος Κύριλλος, τὸ τοῦ Κυρίου προσνεγκίων, « Εἰρήνην τὴν ἐμὴν ἀφίημι ὑμῖν. » — « Ἐαυτοῦ τὴν εἰρήνην ταύτην εἶπεν εἶναι, φησὶν, ὡς ἴδιον ἀγαθὸν ἐμπάρχον αὐτῷ. » Ἐν δὲ τῷ ἰδ' λόγῳ τῶν Θεσαυρῶν, ἐκεῖνο πάλιν προσνεγκίων, « Ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ ἔχει ζωὴν αἰώνιον, » — « Ὡς φύσει, φησὶ, προσοῦσαν αὐτῷ τὴν ζωὴν καὶ οὐσιωδῶς ὑπάρχουσαν δώσειν τοῖς εἰς αὐτὸν πιστεύουσιν ἐπαγγέλλεται. Προελθὼν γὰρ ἐκ τοῦ Πατρὸς, πάντα τὰ αὐτοῦ κατὰ φύσιν ἐπάγεται, ἐν δὲ τῶν προσόντων τῷ Πατρὶ καὶ ἡ ζωὴ. » Ὁρᾷς καὶ τοῖς ὀξέσι διδομένην τὴν τοιαύτην ζωὴν; καὶ κατὰ φύσιν προσοῦσαν τῷ Θεῷ, ἀλλ' οὐχὶ φύσιν οὔσαν; Μὴ γὰρ ἡ θεία φύσις. Ἡ δὲ τοιαύτη ζωὴ ἐν τῶν κατὰ φύσιν τῷ Θεῷ προσόντων. Καὶ ὡς κατὰ φύσιν οὔσα, ἄκτιστος ἐστὶ καὶ αὐτὴ. Τῶν δὲ κατὰ φύσιν προσόντων τῷ Θεῷ ταύτην ἐν εἰπόν καὶ πολλὰ προσεῖναι κατὰ φύσιν τῷ Θεῷ καὶ ὁμοίως ἄκτιστα ἐδήλωσε. Διὸ καὶ περὶ τοῦ Υἱοῦ φησὶ, Πάντα τὰ τοῦ Πατρὸς κατὰ φύσιν ἐπάγεται. Πρὸς οἱ ἀσυνέτως λέγοντες, « Ἐν ἐστὶ τὸ ἄκτιστον, οὐ τὸν Θεὸν ἢ τὸ θεῖον λέγοντες ἀπλῶς, δηλονότι τὴν τε θεῖαν φύσιν καὶ τὰς κατ' ἐκείνην ὑποστάσεις, τὰ τε φυσικὰ καὶ ὑποστατικὰ τῆς ἀνωτάτω Τριάδος ἅπαντα, ἀλλὰ τὴν

τῷ μὲν ἡλίῳ μετεῖναι διεθεδοιοῦντο τῆς λαμπρότητος, τῶ δὲ εἶναι σκότους τὰς περὶ αὐτὸν ἀκτῖνας, ἢ πολλοὺς ἡλίους, ἐπεὶ φῶς εἶσι καὶ αὐταί.

Theot. Δικαίως, ὦ Θεόφανες, ἐν μηδενὶ λόγῳ τιθέμενος τὸ ἀπαρέμκειν τοῖς πολλοῖς τοιαῦτα ὑπὲρ ἀληθείας οὐκ ἀνήκας. Ἠρέπειν γὰρ σοὶ τὸν ἔπαινον οὐκ ἐξ ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐκ τοῦ Θεοῦ, νῦν τε καὶ εἰς τὸν ἔπειτα αἰῶνα, τῶν τοιούτων λόγων ἕνεκα.

Theoph. Τῷ Θεῷ πρέπει αἰνεσις, ἀδελφε Θεότιμε, νῦν καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας, τῷ δόντι λόγον ἐν ἀνοίξει τοῦ στόματος ἡμῶν.

GREGORII PALAMÆ

ARCHIEPISCOPI THESSALONICENSIS

PROSOPOPŒIÆ,

ID EST

Ex habitis per fictionem personarum orationibus, stylo misto, dialogico et maxime judiciali, confirmatio, quid mens in judicio contra corpus contendens, coram iudicibus dicere possit.

PROTHEORIA SEU PRÆMEDITATIO CAUSÆ.

Animi parus utentis ratione discrimen, quo a ratione carente et patibili differt, veterum aliter

alii declararunt : quidam equorum ferocium bigis irascentem et concupiscentem animi partem simi-

sem facientes, aurigæ ratiocinantem : quidam venatori viro ratiocinantem, equo eui insidet concupiscentem, cani adjutori irascentem comparantes : quin etiam locorum discriminibus sejungentes, rationem ut principem in cerebro, tanquam in arce summa, e propinquo quasi satellitio sensuum munitam ac defensam : iram in corde, cupiditatem in pectore collocant. Eximie vero sapientiæ Apostolus, evidentius animi partem rationis participem ab experte distinguens, illam spiritum et interiorem hominem, hanc carnem et exteriorem hominem appellat ; deinde contrarietatem earum patefaciens, « Cerno, inquit, alteram legem quæ in membris meis est, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me sub legem peccati¹. » Orationes autem quas corpus et mens seu ratione utens ; et patiens animi pars, vicissim habuerunt, exiliter admodum stoicus Cleanthes est commentus, sic eas faciens loquentes : Quid, anime, vis factum tibi, mihi indica. Quidquid fieri, o ratio, desidero : id regium plane est. Quidam etiam Ecclesiæ sapientum doctorum, iamborum scriptor, ait alibi : Tibi quid exoptas fieri ; mentem meam soleo rogare ; visne Gygis res has et illas ? Nos vero in juvenilliori quodam

A dicendi genere hujusmodi insistentes, ad judiciali formam dialogi rationem protendimus, et ut rei species honestior et æquior esset, iudices assidentes constituimus, ac partes accusatoris animus rationis participis, defensoris corpus tenet : hæc enim cum ficta quedam describenda sunt permittuntur. Nec quispiam novitatis crimen inferat orationi, haud nescius quo pacto, et ad imaginum et ad personarum figmenta, sophistarum ac declamantium meditationes provecæ sunt. Quod autem assumptivus status sit, agnitu non est ei difficile qui in civilibus quæstionibus exercendis et meditando aliquandiu versatus est ; potius intelligendum est, cum argumentum gravem sententiarum materiam suppeditaret (sæpe enim motum rerumque naturæ contemplationem attingit), nos tamen quoad licuit, via rationeque artificiosa, re ad civiliorum stilum revocata ad judicialium orationum speciem accommodasse. Quod si per omnia assumptivi generis capita hæc non procedant orationes, nihil mirum ; nam nec in omnibus aliis argumentis omnia incidant necesse est ; hæc quæ præmeditari oportuit, hoc modo præmeditata sint.

DECLARATIO ASSUMPTIVA.

Si apud alios qui non intelligerent accurate quam patior contumeliam ab hoc mecum conjugato corpore, hoc præsens certamen instituerem, mihi ipse facerem, illisque conflarem negotia : nimirum ad rem pertinere ducens, si singulatim ea quibus me malis onerat hæc mihi contubernalis calamitas, exponerem. Verum cum apud vos, omnium virtutum cultores, mihi quantam passus sim injuriam divina Providentia ut id facerem concessum sit, qui hoc ipso quod cum eo luctati periculum fecistis, manifestum dicendorum argumentum præcepistis, non admodum mihi videor operosum aut alioqui molestum futurum vobis tale certamen aggressa. Satis enim est brevi quadam oratione percurrisse, et dumtaxat in memoriam vobis revocasse, quas mihi solet vitiorum impressiones et occasiones exhibere, indeque ut suffragia feratis postulare. Itaque paululum vestro in rebus divinis contemplandis intermisso studio, audite me, per vestros vos obtestor, virtutis ergo et multos et magnos sudores, et jure meum corpus reprehendam, necne, ut arbitri iudices judicate, ne posthac inter nos dissideamus atque discordemus ; sed intelligamus utrum nostrum alterum afficiat injuria. Nam, quod miserabilis est, præter convicia quibus insolentius in me debacchatur, etiam eorum quæ immerito indigneque patior, me auctorem causamque facere non veretur. Jam vero progres-

C sura ad ea oratione explicanda quæ contumeliosè contra me audeat, nihil incommodius factura mihi videor, si paulo altius initium sumam.

Ego, viri beatissimi, genere divina sum, et e superna illa nobili prosapia originem duxi, ut quæ sim Dei spiraculum et imago primaria, omniumque terrenorum regina ; non enim de me hæc magnificè prædicare verebor, tantum ne ostentare mea videar apud vos alioqui magniloqua, qui probe nostis ac in honore meam habuistis coluistisque dignitatum amplitudinem. Postquam enim illa quæ nostræ primarium exemplar est bonitas, ad bene faciendum suo ingenio apta, mundum intelligentem et sub intelligentiam cadentem, hocque cælum universum, et quorum capax cælum est, procreavit, tandem in compendium contulit, in unamque temperationem et molitionem velut in craterem quemdam contraxit rem unam omni genere rerum mistam, et multipotentem, id nimirum quod et dicitur, et est homo. Hinc ego intelligens et immortalis cum sensibili et mortali colligata sum, et cælestis cum terreno copulata, et cum ancilla hera ; quibusnam rationibus ita Deo visum nescio ; fortassis ut ambo simul eodem ad officia virtutis exercenda iugo hærentia conspirantiaque, alterius alterum natura frueremur ; illud, ut præstantioris conspiratione nobilitatum, et communicatione cum immortalis degustata, immortalitatem superindueret : ego hæc

¹ Rom. vii, 55.

cum deteriori copulatione, tanquam cippo reflexa, modice de me sentiendo, et gloriatio de iuaginis dignitate cohibenda remittendaque, et non superbiendo, et a Deo, ut primus Lucifer, deliciendo, sed potius humiliter et demissè sub ejus manum validam me subjiendo, ita Deo adhærerem ego, mihi corpus; neque pusillum quidem aut ego a vitam præstante causa, aut hoc a me animante abduceretur. Ista rationes opificis reputantes, non linum lino, sed semper se moventem cum aliunde moto, et simplicem cum juncto permiscēt et implicant, quid enim ab illis innumerarum rerum potentibus connecti nequeat? Ac quæ ab ipso statim ortu incommoda subivi, non est hujus temporis de his tragædias excitasse; tantum date mihi ut ea paucis deploram.

Simul ac cum hoc mortali coalui, ac antequam fetus vitam accepit, in utero cum sepulto una sepelita, et velut in duplici spelunca. Sarcæ mortuæ cadaver Abraham sepelivit, ita et ipsa duplici monumento infodior; nam ex sapientum sententia, si corpus est meum sepulcrum, id vero in utero tumulatur, quidni duplici loculo, fetu quem embryon vocant, et utero consepelior? Talibus me complexu suo primum receptam et amplexatam amicum corpus excipit humanitatis officiis; talibus hospitibus et læderibus prehensam accipit. Quæ vero posthac succedunt? germana, ut aiunt, et eodem colore contacta, ex eademque arte figlina, sive natura fingente. Illinc enim quasi e tumulo prodeuntes una sepulti, uterino quidem sepulcro defungimur: ego vero in corporeo etiamnum insisto hæreoque. Atque veluti ejusdem vitæ facta inter miseris coemptione, calamitosam vitam inchoamus; nec lætamur quasi a tenebris in lucem eruperimus, et auram vitalem trahamus, et alium solem amplexemur; neque circum genitricem exsultantes lascivimus, ut agni, vituli, hianuli circum matres, sed illud, cum ex locis calentibus repente in aerem frigidum incurrat, ex commutatione angitur, et acriori dolore conflictatur: ego vero ægritudinum acerbarum consensu ipsa quoque crucior. Hinc et ejulatus natalitibus cantibus ex adverso respondentes, et undique devincientes fasciæ et cunabulorum vincula, sepuleralibus ligamentis cognata, et lectuli seu cunæ, evidens imago monumenti, ut hinc etiam mihi molestiæ conduplicentur, secundis his mihi post prima vinculis impositis; non enim a sapientibus illepide multis appellationibus et conjugatis id vocatur, sepulcrum, custodia, amictus, monumentum, *δέμας παρὰ τὸν δεσµόν* (a vinciendo), et tabernaculum; quod in eo tanquam in taberna de via diversetur: deinde sic illud colligatum, lacte nutritur, et sensim augetur; ego vero, tanquam fluvis feculento cuidam illigata, huic invalido debili que, et fluxu perpetuo influenti a quo ellurmi, veluti submersa corripior, et in extremitate demeritæ lundum præceps devolvor, nec potis sua

quâpiam mente dignum, mihi que proprium efficere, humido gurgite immersa.

Verum enimvero hæc, tametsi alioqui misera, tolerabilia tamen, et qualia nemo jure reprehendat, ut quæ naturæ legibus, et originis immutabili serie connexionequè gubernentur: illud miseris, quod ex amentis fundo enatans aliquando, et lumen rationis inchoans circumfundi, corporeis membris ad perfectiorem statum procedentibus, neque tua plane pure dementia defugor: quemadmodum nec ex ebrietate, vel sopore gravi, vel veterno convalescentes vertigine, aut ob oculos offusis tenebris illinc natis in totum statim repurgantur. Cæterum hæc dementia malas sortes et tempus, et perceptio disciplinarum abradat a mente, et scientiam ac prudentiam insculpat, sed imperiosam altricem facultatem, et perpetua ciborum et potuum quotidianorum quasi tributorum pensa, quæque inde mihi adversæ facultates ab illa nutriuntur, concupiscentem et irascentem, quodnam tempus aut quæ doctrina omnino remittere evertere possit? harum servitutem quis excussisse gloriatur? Quis voracem inexplibilemque ventrem, et gulam furentem, jejunii lupato et freno continentis sine vobis colibeat, qui naturæ contemptores inusitata prudentia estis? et qui collatione cum angelis, mortalibus corporeis induti, et jam divorum natura superiores vos palam præstantes, nihil novi est, si longe supra corpus evolaveritis: ut hæc mihi sint oratione vestræ res eximendæ. Cæterorum autem qui nec mortales vitam degunt, quis a cupiditatibus alioquin alienus irascentis animi fremitum compescat? quis vel sapientiæ sapientior ita sit, ut cupiditati nihilominus quam aspis, mortiferum venenum jaculant, et ad præcanticem vocem obstinatius obsârdescenti medeatur? aut quasi vas illud electionis, ut viperam adhærescentem excutiat? quis evangelice progenitus et educatus, quemadmodum Azarias et socii puelli, non coluit corporearum voluptatum assecram locupletem et pecuniosam, ut illi non coluerent ex auro et argento, ære et ferro manufactum simulacrum? Quis, ut paucis absolvam, ventris ingluviæ, seortationis, avaritiæ catenam divulsit, nec iis inter se fimeulo triplici longoque, et cætera vitia contrahente nexis constrictus tenetur. Eæ sunt enim, opinor, apud Salomonem amata filia: tres hirudinis sanguinariæ, id est carnis, quæ sugendo quidquid animale, quidquid in me vitale sit exhauriant. Horum corpus incuso, hæc criminor: horum nomine hæc accusationem factio, remm contumeliæ et injuriæ postulans: quia natura, ut nostrum genus conservaretur, moliente, permiscen-teque et alimento, et generis propagationi, voluptatem, ut hæc tanquam esca pellectus homo, ad ciborum perceptionem, et legitimum cubilis muliebris usum conciliaretur vivus, et vita functus non perret: harum rerum nemini accusabilium, et naturalium, quasi legum non scriptarum, sed jam more

usitatam captata facile occasione, corpus ad quam voluptatum licentiam non effertur? cujusnam satiandæ libidinis terminos non exsuperat? Nunc esculentorum satietates exigit, nunc rursum suavissimis et magna difficultate parabilibus-cibus infartum, facere non potest quia satiatur, iterumque rebus quibus abundat obrutum deglutit; et præsentia improbat, absentia desiderat; neque vina quæ patria tulit, cordi sunt, sed ut aqua quæ vicinos agros alluit, nihili æstimatur, et peregrinorum silis accenditur; neque vestimenta quæ ad æstum et frigus arcendum sufficiant, solum quæeruntur, sed quæ sint ex materia vix parabili, et arte supervacanea curiosius et delicatius elaborata, ad ea me vi cogit, ut per ancillas cibariorum, obsoniorum, et textilium administras sibi obsequar, et infinitis suis serviam libidinibus suppeditandis, et veluti tributis conferendis iis quæ præter necessarium usum exiguntur; non ut ea decore, et in rem suam absumat, sed ad libidines voluptuosas præceps abutatur.

Quam igitur me vitam trahere putatis, viri Deo dicati, cum eo ita misere dementante oberrantem et subservientem? aut quibus absurdis sceleribus turpissime non impiagentem? istane mediocria videntur? aut ego frustra temereque alioqui indignor? Nam si quotidiana, eaque sine quibus non constaret, exigeret, non quiritarer: si nuditatis operimentum simul et ab aeris immensis injuriis præsidium postularet, libens equidem præberem; si vulgaribus abuteretur, si solum modicam et frugalem vitam rectam censeret, non injuriæ loco ducerem, talia suppeditare, neque actionem postularem, neque diem judicii dicerem, ut hoc certe tempore jure facio, quippe quod cum impetu suis cupiditatibus contra mandatum Apostoli, provideat; semel enim a naturali necessitate commodissimam nactum occasionem, omnem pervagare nefandam voluptatem non desinit. Plane enim quod ait divus Paulus de peccato: Per legem scriptam peperit in me omnem cupiditatem; captata enim per mandatum occasione, decepit me, et occidit: idem etiam in nos incurrit; inventa enim occasione ex lege naturali, id est, alimenti et fermenti usu, mea caruncula, omnem in me excitavit cupiditatem, et propter rerum necessariorum indigentiam, primum me ad eorum legitimum usum trahit, deinde ab usu naturali ad alienum et contrarium nature abusum pertrahit, tum a continuo et frequenti abusu ad ingurgitandi et deliciandi habitum: tandem me prope decipiens, interficit. Nam deliciis inreita sive femina est sive mens, vivens mortua est; mea enim mors est, oblitam propriarum mihi actionum, in pecuariis voluptatibus corporis percipiendis versari: quando, ut alter apostolus scribit, attrahor et inescor a carnis cupiditate; cupiditas autem concipit et gignit peccatum, peccatum autem absolutum procreat mortem. Ab uberibus enim ipsis in more positum est, ut cum ad juvenculum quævis

A profundatur, ad id autem quod sensum exasperat, indignetur, iis exerceatur affectionibus quæ ex voluptate et dolore nascuntur. Hinc et ira vires et potentiam in corde, in jecinoreque voluptas exerceat: quæ principes affectus ita diuturna commentatione corroborantur, ut et mei partem rationis participem consentientem habeant, abducantque morigeram, una quadam ratione; aut enim dolo, aut violentia trahunt. O quoties intelligentiam mihi voluptas suffurata est! quoties, quæ faciam ego non sum malorum nescia, consilium at iratus meum impedit animus. Iracundiam quoque et voluptatem universa perturbationum turba consequitur. Equidem conor mihi principatum debitum asciscere; verum ab hac populari dominatione avertor, idemque mihi accidit, ut si qua nobilis puella parentibus oba relinquatur: quæ cum multarum ancillarum domina sit, nondum autem imperare dilicerit, contemnitur, aut etiam colludere docetur: at serius agnosceus quæ quibuscum corrupatur, familie capescit imperium, et illas in ordinem servilem reducit et castigat; illæ vero pristina licentia herili lasciviaque refertæ, erubescunt, et iam heram insurgunt; et etiam quidam servi feruntur, heris peregre profectis morantibusque, et familiæ heri, et uxorum viri successisse; deinde in reversos heros insurrexisse et armis decertasse; quemadmodum item alii postea Roma fugitivi magnis præliis cum persequentibus et fugitivariis dimicarunt. Tale quoddam contra me servile bellum concitat natura mihi servum corpus, aut etiam acrius, quod illorum partim armis, quanquam difficile, tamen perierunt, una cum servitute vitam quoque posuerunt, partim interea pugnando restiterunt, dum heros ferro dimicantes viderunt, et in se pariter irruentes; ubi autem illi dependenda censuerunt arma, et inertes flagra duntaxat tanquam servis incusserunt, itaque revocarunt in memoriam, qui quibuscum auderent gerere bellum, tum ad se denique redierunt, et pristinam dominationem agnoverunt. Hoc vero meum servile hostileque malum est indomabile, seditiosum, fugitivum, quod nullo pacto in servitutem adducas. Nec rationem ullam tenco, qua superior evadam; nam neque jure belli, neque lege justæ servitutis expugnare possum, sed quoquo modo congregiar omnibus proverbiiis obnoxia teneor, lapidem coquens, aerem verberans, Æthiopem dealbens, flammam cædens, in aquis scribens, ex arena funiculum necens. O factum incredibile! duarum rerum rationis expertium potestas meæ si tibi credita est: alterius necum intrinsecus et e propinquo, alterius remotius et extrinsecus conjunctæ. Verum hæc exterior servitutem passa est et subijciendi legibus acquievit; nullum enim animantium ratione destitutorum, idoneum obsequium præstare recusat, sed jugum impositum cervici los tollit, ac terræ crassitudinem aratro perfringit, idque facit, cervicibus cornuum acies quasi alteras hastas prætensas habens; neque levipes equus ministerium fugit, sed exiit: fe-

rox et petulans, ore tamen frena recipi, sessorem et pacem agitantem et pugnantem velit. Parret asinus, licet natura tardus sit, ad onus portandum vocatus; et quemadmodum ferocitate exultantem equum coercui, iidem tardissimum asinum adhibito puello et fuste celeriores feci. Quid hæc mansuetacta pecora et subjugalia dico? Non ursus, non pardalis, ferarum immitissimæ, non ipse elephanta, magnitudine aggeres terræ superans, non leo, rex agrestium animantium, nostrum detrectant imperium: sed et in urbibus per forum et theatra ducti, spectatoribus otiosis voluptatem cum stupore et miraculo præbent. Neque sublimibus avibus ad fugam satis fuit aeris ingens altitudo: ut neque piscibus ad latebras profundissimum maris fundum, ac hoc rationis expertis, ferinum et belluinum, ita mansuefacimus ut res fert, et domamus: alterum vero genus domesticum et cui continenter insidere nobis præscriptum est idque moderari, nescimus quonam pacto mitigemus, et ad obediendum elemente adducamus; et tamen genus illud natura prorsus ad rationem obsurdescit: hoc auscultat, et modo quodam ad eam convertitur, at quod a ratione alienum est omnino, rationi magis obsequitur, quam quod natura insignitur et ducitur ratione. Illud quoque suppeditat et labore suo parat corpori profutura: corpus vero auxilio mihi datum ad obeunda præclarissima virtutis munera, contrarium et magis renitens deprehenditur: potiusque ut secum aberrem a ratione, quam ut mecum ipsum una ratione utatur, vi cogit. Ac superius explicata causa est: quod cum esse mihi honorificus ortus, non intellexi primum, scilicet cum satira caruncula una juveniliter desipiens, sive cum materiæ sordibus, ut Chaldæorum verbis utar, et quisquiliis simul demersa, et velut ostreato indumento circumdata, comparatione similitudineque pecudes et amentes naturas refero, seriùs tamen intelligere demens, et stolidi aliquando sapere incipiens, aditor mihi primordium conveniens vindicare, corpori ejusque membris imperare cum ratione, et ad munus cuique congruens revocare. Illa tamen ipsa sermonem etiam præoccupantia, plane factis proclamantur quæ cives nobili viro, ut est in evangelica parabola, per legatos quos miserat, nuntiaverunt: «Nolumus ut tu regnes in nobis;» ducunt enim citius quam ducuntur, renitunturque familiaribus et amicis potius quam asciscunt quæ sunt optima: magisque retrahunt quam trahuntur. Atque mihi considerate, queso, primum aures et oculos: illæ, ut Ecclesiastæ verbis utar, audiendo, hi videndo non sciuntur; quoniam illis semper patentibus fores occludere non licet; his quæquam palpebrarum tegumentum vallum est, et aversio, ex sententia magni Joh, dispositione vana videant, quid tamen hæc ad eorum momentum promptissimum et celerrimum supra modum, et inexplabilem curiositatem? Deindeque linguam, indomabile malum, mundum iniquitatis, ut Jacobus frater Dei loquitur; quæ etiam prius quam rationi

A liceat dicenda, considerare, præceptis ad nuntiandum sua sponte præsilit, foris effluens, quæ non oportet: tametsi tot septis naturæ circumvallata sit. Quid vero gola canalis quidam omnium capax? quid insanicus furensque tangendi sensus? ratione auscultare novit, et appetitioni modum constituere? Quid vero cor, cum effervescens et ad ultionem incitatum tumultuatur? quod quamobrem canino ritu latrans Homeri poema fecerit, ac non potius leonino more rugiens, a miror; postremo animosa particula cupiendi cui rite comparari possit? Seyllæne, immortalis perniciæ, an renascenti hydræ? an Typhoni capitibus centum prædito? Tot instrumentorum barathris, et artuum vallis, undique mea consepta est altius habitatio: in quibus absurde et rationis expertes facultates, velut omnimodi serpentes in ferinis Libyæ speluncis, latitant: quas circumcurare mansuefacereque pollicetur illa quidem dignitas imaginis; at si qua sursum emergunt, deorsum una convolvuntur, nam illa magis ferociunt sæpeque numero efferantur. Quod vos quoque subsentientes, et ne quid inde mali vobis accideret caventes, ex hominum omni consortio, ferarum altricibus lucis occupatis, vos adducendos censuistis, antrâ suis tegumentis munita, terræque penetralia solis radiis impervia subeuntes, per deserta vasta sub dio vagatis, ut corporis sensibus ad malorum ingressus obstructis, pars illa ratione careatis animi ferociens, alimentis destituta quiescat, et rationis compositis pars intelligens, a rerum subsensum cadentium perturbationibus vacans, otiosa rebus intelligentia sola percipiendis incumbat.

Eato sic sane: equidem his paucis demonstravi palam, quanta servile corpus in me juveniliter molitur: quod tametsi talium injuriarum auctor manifeste revineatur, non tamen abstinere quominus contra etiamnum dicat, qualia sæpenumero liberime dicendo, non nutiando ritu servorum, insolentius audet: ita nimirum omnibus in rebus, quasi natura hostile mihi renititur, factis dictisque repugnans, et omnino, nullum in pactum, nullum in fœdus coiens. Itaque quiddam eorum quorum nane accusatur, ac in primis illos ciborum pereuntium malignos quæstus, et perpetuam exactionem se vel agere vel pati negaturum est. Nam cum sit natura compositum et semper fluens, meatibus tum abditis, tum apertis, necessario respondentem inanitioni repletionem requirit, quam cum non aliter quam per cibos et potus natura molita sit, ideoque nihil se peccare dicet, naturæ legibus sequendis, et quæ statum conservent appetendis, si ad tempus legitimum sufficere, nec male habere: egero medico, omnino defessum concidere, jacturamque carum actionum facere quas mentis causa cum labore susceperit, velit. Hi vero, hi, inquam, beati iudices usitati corpori meo prætextus sunt, si quando delabens aut irruens ad lasciviam freno vitæ durioris, revocem. Ut enim lactantes infantes a mamma depulsi plorant, itidem et hoc ab his quibus fami-

hariter assuetum erat, avulsum luget, et indignans A obstupescit, morbos et vinculi quo inter nos colligamur dissolutionem, excessum e vita injustum, et ab agendarum rerum studiis cessationem cogitans. Nam quod hæc manifesta ironia, dissimulatio, tergiversatio et versuta recusatio sit, vobis non est ignota qui experiundo didicistis, et edocti estis, naturam corporis, in rebus honestis operam et laborem impendendo, in naturam impatientem quasi ferrum et adamantem indurescere; quod vero non pro foribus hæc contentio sit, id quoque perspicuum tametsi est, argumentis revincam expositumque et planum faciam. Non sane prorsus quod nutriaris neque quod nutriendo læteris, o stupidum corpus, criticamur; ea criminamur quibus malis aut afficimur, aut deteriores sumus. Quis enim mente præditus, et naturæ rationes vel mediocriter contemplatus, maledictis impetat cum alias facultates, tum maxime altrices? Alimenti abusum ex legem in deliciis et inexplebilitate reprehendimus. Non autem idem est τροφή quod τροφή, delicie quod alimentum, sed alterum ab altero longioribus interstitiis differt quam Mysorum et Phrygum fines differunt, tametsi vicinitate nominum ea propemodum conveniant; tu vero aut stupidus, aut malignis moribus præditus, accusationem abusus ad naturalis usus columniam traduxisti: idemque aut nescisti, aut te nescire versute simulasti, veluti nos adulterii vel ebrietatis accusantes quempiam, calumniareri quasi conviciis nuptias cupidas et sobrium vini potum insectemur. Itaque neque te, o mea crux, in iudicium vocamus, ob rerum necessariorum usum, sed quia tu hanc nactum speciosam occasionem, non desinis, ut iterum illud apostolicum usurpem, omnem in me cupiditatem efficere: primum quidem utens alimento siccum humidoque, deinde præter et contra quam par sit abutens, eo incumbens, ad universam omnemque voluptatis illecebram delabens et irruens, et una me corripiens, et exhibens negotia. Nam duplici et gulæ et ventris intemperantiæ flatu exagitatam, vel potius triplici (in satietatibus enim, aiunt, Venus est, prætereo enim tunc horum comitem malorum legionem), quid non mihi difficultatum et miseriarum inferas? Nam dum es inane, repleti desideras; vix plenum es, denuo laboras inanitate, ac iterum exquiris compleri; quanto item fame divexaris, ad satietatem te cibis oblectas; cum exsaturatum es, voluptatis illecebras quaeris; quin potius, et esuriens, et plenum, neque satietatis modum, neque voluptatis satietatem nosti; in quo ego misera sum, pari poena damnata qua illæ fabulosæ Danaides, ut in infinitum, ut illæ, tibi exhauriam, dolio pertuso; aut etiam eadem patiens quæ divinus ille David, huic profundo cœno, in quo nusquam subsistas, illigata, ad innum perpetuo delabens fundique nescium, quod enim extremum profundum tuarum appetitionum inventum est, quod tandem postremum subsistat, et tuo ulterius progredienti obsistat impetui? non est aliud

quidquam, nisi quis sortem malorum omnium demitricem dicat; miserior vero multo sum alioqui, quod imprudens nesciaque te malam bestiam in sinu foveam, et pullum petulantem meo malo pinguefaciam. Nonne nutritum et folum malam mihi gratiam refers? mordens, ut serpens, calcitrosus, contumaciter ignominiam inrens, nec amplius domabile: non persuasionis blanditiis definaris, non vi frenaris, non probitatis ergo labores attingis. Quid aio, labores non attingis? Præclare mecum ageretur, si contra non interedis: si a te tibi gratia charaque, mihi autem ingratiissima inimicissimaque, non violenter tecum corripere; si meam pudentiam amabilem loto, ut quod salomonem illis sus auream insarent, non divales. Ne mihi, quæso, beate cœtus, succensearis, si invelat in hanc indomitam malamque peccare tam acerbe, et in tyrannicam rebellionem, ille quoque tantus Paulus mundo crucifixus, non jam vivens, sed in se viventem et loquentem Christum gestans, circumspiculus observabat, et indignans veluti deplorabat, miserum se vocans hominem, et anxius quaerens a corpore mortis hujus liberatorem: in quod etiam tanquam generosus athleta, coronamque merens, vehementius irruens, non prius desit ferire calcibus et crebris sugillationibus notare, quam in servitute adduxerit, morigerumque fecerit.

Esto sane, inquit, at tibi licebat natura subdito mihi servitute imponere, quæ notas inurere velles, apostolicam secuta formam, illudque sapiens præceptum: Asino fœnum et baculus, servo panis et flagra. O ludibrium! quibus me dissimulationibus deludit, nunc fateris te mihi subditum esse natura: nunc mihi verbis adblandiris, quod subdicere liceat, factis perpetuo repugnans. Ego vero quod tu velut asinus petulans, fustibus cadendum sis, et ut malus servus, verberibus lacerandum, intelligere ipsa sero cœpi. Verum agendum mihi percontanti responde: quando, quæso, quaque ætate mihi datur te subiciendi potestas, cum nunquam cum Apostolo dicere possis, te legi Dei subjectum esse? utrumne puerili et adulta? At tum mentis impotentia desipiens, me ipsa non possum uti intelligereque quanto tibi præstem. An vero juvenili, an virili? At tum omne malum erupit, et inde bellum vehementius inchoatur, me jam meipsam agnoscente, et conveniens primordium asciscente, et alio vitæ victusque genere meliori utendum, et legi Dei acquiescendum esse censente: hoc autem se a grata et coeva consuetudine divelli non patiente, cum ab ortu ad vicesimum usque annum juventutem in omni libertate licentiaque contriverit, et ventris ingluviæ studuerit, et solam voluptatem exercuerit; nec dictum facile est, quam robustis impetibus mihi quasi res novas molienti, et præter æquum dominantem, renitatur; ac mihi diurnam consuetudinem, et naturalem legem quasi murum quemdam objicit; idque potissimum, quia recens socium epitulatorem ventris affectum

co tempore vehementem nactum, et cum per avaritiam, ambitionem, et si quid aliud horum comes cum tali tantoque ecetu coit, mihi adversatur, astutia bellica fallit, et sub peccati legem captivam abducit, persuadetque ut et ipsa faciam, facientique consentiam, quod neque probo, neque volo. Ita parere didicit; ita leges obediendi colit. Hic opera pretium fuerit, amici Dei iudices, ut non exadam fustibus, ut asellum agaso solet, ita praeter naturam superbiens, et effrenate lascivius, et non amplius pecuario fastu tumescens, sed belluino fremitu rugiens, nec rebellans, et manifesto tyrannidem occupans, flagris et pugnis, ut heri solent mancipia, foedem: sed ferro, quod aiunt, igneque animadvertam, et illustri semel pugnam conseram, cominus hostem aggressa, et aut ipsum honestam degens vitam exhibeam, aut item quod generosus Samson faciam patiarque, convellam, inquam, quod injuriam faciat: et cum hoste cadente laeta simul excedam. In me igitur hinc quoque quadrabat, quod proverbio quiritur. Ah! quam grave est id hominibus malum? cum quis bonis non utitur his quae noverit. Nam ego certo sciens in tam rebelle non esse verberibus animadvertendum, sed ut hostile odio prosequendum, non tamen bono hoc animi consilio utor; ab innumeris enim affectionibus depulsa impedor. Quae sunt haec? non enim vos celabo. Pudor, parcitas, misericordia, metus non intrepidus, sed lethalis. Pudet me hujus, ut conservi, et ut aliquando me adjuvantis, si non hoc tempore, fortassis in futurum, et ut sodalis, amici, socii, coequalis. Parco abstineoque tanquam ab arumoso, infelici, misero. Ac me vicem ejus graviter miseret, nescioque quonam modo cum afflicto condolesco, cum oppresso una molestiam capio, cum dolente cohaeresco. Praeterea caveo ne offensionibus acceptis imprudens ruat, et mihi causam carum rerum quas ipsum attentaverit, aut vinetis custodiam perfodientibus ac elabentibus aut servos corrumpentibus inquisitionibus et tormentis vehementioribus, attribuat. Quantum enim audax et temerarium est, quando lautius nutritur, tantum ab arumna qualibet occurrente vexatum, commoritur; non modo enim morbo laborans, sed et frigore, vigiliis, esurie, sitique labascens ac deficiens humi provolvitur, concitatque ad misericordiam hostes, nedum me nascendi ac viviscendi, et profecto renascendi atque reviviscendi sociam et participem.

Me miseram! quid patiar aut faciam, cum tam multiplicibus malis praedito socio conjuncta, iisdemque affecta, cum quo a pueris in eundem ignorantis fundum depellor, et cum quo juvenititer ad contumelias prolabenti corripior? cum ipsum in membris viget suis, equidem indigne fero, cumque me ad nefanda facinora rapit; cum rursus affligitur misere, reflexa distorqueor, et mansuesco.

A Quae supplicia, qua poena non est digna tam vecors et ingrata, et in me contumeliosam, ita clementem et miserabili commiserescentem, ut ne liberorum quidem amans mater in sua ipsius viscera esset affecta? At ita sane adolescens, ita juvenescens et virilem aetatem attingens, me non solet auscultare. At senescens mite ductileque et tractabile est ad ea quae decent instrumentum? Undenam? Quod certe membrorum vigore nexuque soluto, et ingento calore extincto, immobili torpore tabefactam veluti compeditum est, et veteris arboris exarescenti truncus simile, scilicet tale possit res aggredi serias et honestas, quod sustentantium et senescenti succurrentium indiget, praecclare vero mecum ageretur, nisi etiam suas mihi calamitates **B** inureret, et quibus abundat, senilibus malis me refereret, delirio inquam, errore et veterno. Nam si verum est, mentem Tithono consenescere, et bis pueros senes fieri, ad repuerascendum profe aetatum conversione revertimur; ac corpus quidem videt et odit obtusius, ego vero senis delirantis lippitaline caecitateque tanquam tenebris offundor, nec acutius jam cernere possum. Et illud cum aliarum rerum obliuiscatur, alimenti tamen in perpetuum meminit, et genulis non amplius dentibus in alveolis infixis, tamen maxillis molaribus destitutis molit ut potest, quas etiam proverbium quoddam ut et Scipionem, seni largitur: ego vero non jam disciplina et memoria utens, neque sane dento ut didici, praecpta recordans, solum ingurgitor oblivionis poculo, itaque paulatim e sublimi ad puerilem regredior aetatem. Tametsi enim temperationibus adversis affecti sunt et pueri et decrepiti senes, quod illi humidi sint et calidi, hi siccii et frigidi, utraque tamen aetas sapientiae usum ac prudentiae mihi negat; nimirum, quando puerile corpus sub perhumido sincipite cerebrum gestat aquosum, ut nihil intelligens infans sapio; quando vera calvaria senio cuinens patet, nihil ab uva passa, ut in proverbio est, absimilis, rursus ut infans reputor. Affectiones enim exsuperantes et corporum naturam, nec minus mei partem ratiocinantem labefactare vehementer possunt. Omitto reliqua recensere quae has aetates, primam et postremam dico sorores germanas consequuntur excrementa superflua, calvam depilatam; accedit huc os salivolum et edentulum, lacrymosi et humentes oculi, nares mucosae, pedes partim nondum, partim non amplius ad ingrediendum habiles et apti; membrorum item tremula inconstantia, et totius corporis conquassatio. Sed quousque recitare contendo corporis omnia tristia mala quibus affectum, aut me misere ad condolescendum attrahit, aut miserius ad collectandum corripit? Igitur multis praetermissis, ac morborum examinibus praeteritis, a quibus, dum fovetur, riget, artubus torquetur, et, ut paucis absolvam, dum male habet, conerueior; summam colligam infestiora mala quibus immerito afflictor. Ut naturalibus facultati-

bus ab usum ad vitiosam satietatem et delicias fuerit, demonstravi : utque mihi conanti providere, et ad moderatius vitæ genus revocare, restiterit et insurrexerit, liberam vivendi consuetudinem ut legem immobilem prætendens, et ut indomitus quispiam vitulus, jugum servitutis ignominiose despiciens et injuriam spirans, et taurino more sæviens : quodque gravius, ut naturæ fixas et certas leges transiliat. Nam cum statutum sit, ut me ducem, quæ rationis sum particeps, et ad imperandum habilior et aptior, sequatur, ipsum potius imperare mihi contendit, ut velim, nolim, ad una suppeditanda voluptatis efficientia pertrahar, et indecore me cum eo geram, veluti quadam duplici telo manu armata, violentissima captivitate, et in postura nihil non alliciente pertracta. Molestiarum etiam quas aspergit mihi, tum in puerili, tum in ætate senili, etsi natura inculpabilium, miseriam tamen multiplicantium, tragœdiam obiter attingi. Quasi enim non sufficerent ætatis vigentis et fervescens ad res turpissimas mala, etiam quæ huic interjacent, suas quoque calamitates huc conferunt. Et omnibus in rebus quantas quotiesque mihi contumeliosas ærumnas hoc lenè corpus infundat, leviter aperui. Ne posthac igitur tam inhoneste imago Dei ab hac lutea conjuge turpetur, et domina mancipati dominationi subiciatur, vestrum est et reliquum, judices, suffragia ferre, injuriæque reo pœnam constituere, nec ut ego posthac

A injuriam patiar, permittere. Si enim evangelicus ille iudex, neque Deum formidans, neque homines reveritus, vindicationem aggressus est, quanto magis vos vindicabitis me, qui et religione sancti estis, et rerum humanarum providi? Nam ei merito ne parcatur, si ejus naturæ quod est luctuosum et miserabile convertatur ad supplicandum : sed ab ejus seditione manifesta que tyrannide vos abhorrentes, a duobus alterum juste faciendum statuatis : aut ut mihi detur ita meo tractandum arbitrio, torquendum, flagris cœdendum, inedia suffocandum, omni tormentorum genere cruciandum, ut a me gestorum ratio nulla repositur, etiam si mutilavero et omnino consecero : aut apostolica æmulatione, Satanæ communi, dire et publico tortori tradam. Quorum enim vasa fere terrenæ incolent, ut est in oraculo (incolunt autem perturbationibus incidentibus) eorum et pœnæ sint mortalium suffocatrices. Ita verberatum, demens mentem feret seque tandem agnoscat, et a petulantia cessabit, ex eoque quod erat armatura injustitiæ, ad justitiæ commodum instrumentum convertetur. Itaque in posterum seditionibus non agitabimur, nec altero alterum jugo nitentur; sed concordie conspiratione et consensu junctas operas in rebus honestis et seriis collocabimus, et conjugatorem nostrum colemus, ac nobis ipsis promissam illam beatitudinem, intercedentibus vobis arbitris et legatis, comparaturi sumus.

C

ALTERA DECLAMATIO, QUÆ ET IPSA EST ASSUMPTIVA REFUTATIO.

Quibus verbis corpus

contra mentem in judicio contendens coram iudicibus uti passit.

In me quot convicia, quot contumelias, quanta cavilla congesta mens, ista gravis effuderit, quasi comœdiam agerem in theatro, non accusaret in foro, audistis sane, divinissimi iudices; soluta enim et libera lingua, ne quid plus dixerim, large effuseque usa est, non tanquam conservo, aut, ut ipsa loquitur, conjugato parcens, sed ut in mancipium argento redemptum invehens, et tantum non pugnos crebros impingens. Ego vero postquam vestra mihi æquitas dicendi locum dat, nihil sum levis momenti vitiosive dicturum; bona enim verba dicantur necesse est, sed quæ crimina intentavit mihi, ea ut potero dissolvere conabor, semel autem hoc tempore mihi concessa ex æquo dicendi facultate, vos orabo obtestaborque, ut meam dominam interea mitigetis, siquidem indigna se pati censens, irata meam audit orationem, idque aliam contumeliam interpretatur, quod initio sim ausum contradicere: acque vobis veniat in mentem quemadmodum neque Job ille divinus suorum ipsius famulorum de se

judicium vilipendebat, ut alicubi ipse inquit; nec profecto mentitur; nam præter alia bona et honesta, etiam hominis veracis testimonium accepit. Neque certe Deus ab ipso Job in iudicium vocatus, ut conviciatorem reprehendit. Quidni? qui apud divinum Isaiam, « Venite, inquit, et disceptemus cum viris delinquentibus; » et apud magnum Davidem inducitur justificatus, et vincens cum iudicatur. Igitur et hæc quæ Dei refert imaginem, exemplis bonitatem illam imitetur, et magno prædita animo patienter hanc sive iudicationem appellare, sive etiam disputationem oportet, sustineat, eisdemque rationibus animi quibus ille, fortitudinis adamantina aureaque statua, famulares contra se juris actiones ferebat. Utrumque, aiebat beatus ille, non, sicut et ego in utero fui, illi quoque fuerint? Quod si forte periade ratiocinari dicereque ac ille justus Job, recuset, ut ego saltem vice versa dicam, concedite, quanquam dissimiliter similia; qua illic herus erga famulos æquabili animo ut-

batur; hic erga dominam ego servum libertate actor. Numquid non et ipsa manu Dei creata est, ut ego fictum? non enim se Dei creaturam negabit, tametsi fortassis figmentum, ut quæ divina sit inspiratio; neque male feriatis hominibus decepta persuadebit unquam, quod essentiali divinæ delivium sit, quæ quidem quantum magnificere et extollere stultuerunt eam, ejusdem cum Deo naturæ delinquentes, tantum imprudenter eandem conviciis affererunt, ad bestias, frutes et cucumeres dependentes, nec ei solum immodicum honorem et instantiam, sed et supremam illi naturæ contumelias inorquentes. Nam cum constituisset Deus hanc, ut efflugere eam nihilum enim proprium mihi revelanda est creatura), non terræ, non aquis jussit, et hunc quoque sicut et cetera animalium genera produceret, sed accepto pulvere ipse conformavit: et ut conformatio divinior esset, ita et mea species antiquior, non enim quadrupedem et pronam fecit, non alvo capiteque in terram protensam et prostratam semper, sed rectam et totam sublimem, parvis quidem hisque duobus plantarum vestigiis terram leniter attingentem, sursum autem caput attollentem, aerem puriorem respirando carpentem, et cælestes pulchritudines contemplantem: ac nativis quidem nudam indumentis, et ad se tuendam præsidii inermem, manibus tamen communiam, proprio animi rationis participis, et industriæ et versuto exercendis artibus instrumento: quarum opera tutius induitur contra incommoda omnia, quam lanigere et longis pilis munita animalantes; rectiusque, quam quotquot aut coriis aut squamis nativis obducuntur; et pulchrius, quam bene alate aves; armata est autem validius ad se defendendam, propugnaculis manu factis, quam eæ his quæ vel unguis vel cornibus pugnant, aut dentibus et unguibus. Ita vero mihi studiose artificioseque formato, Deus vitæ spiraculum inspiravit, et id ex ambobus temperatum, hominem et suam imaginem nominavit, et ut pedestribus, natatilibus et volatilibus imperaret, præcepit, et ego sine mente quidpiam agere nequirem, ut nec mens sine me. Statim enim quæ præcipua est imaginis nota, in animantes imperium exercere, quomodo mens corpore destituta, aut initio recte potuit, aut in eo postea perseveravit? qua ratione conscensus fuisset equus, nisi meæ manus frena fabricassent: qua ratione hos incidisset sulcos, nisi iisdem juga aratraque conficientibus? Quod si mentis excogitatione hæc reperta sunt, illud est quod nunc dicebam, alterius opera egere alterum; illa excogitat, ego quod est excogitatum, industria mea perficio. Ipsa rationes artificiosas videt et proponit, manus meæ materiam ductilem et tractari facilem suppeditantes, ejus quod animo informatum est speciem conficiunt; et non jam servum, quanquam ut servum aut instrumentum hæc subministro, sed ut

A particeps ejusdem dignitatis cum mente condeciente, imaginis exemplo, et honestarum actionum adjuvans causa sum. Nixam enim fretaque naturæ hominis ratione atque descriptione, confirmaverim, non mentem solam neque corpus solum hominem dici, sed utramque simul, quem ad imaginem suam fecisse Deus dicitur. Nimirum, quemadmodum cum homine communico, ita et ab humana dignitate participo. At tale cum sim, me tamen optima mens e catalogo tantæ nobilitatis expungit, et veluti spurium abdicat, me servum, sed divinam inspirationem, regendam et meam dominam appollans. Ac potuissent equidem operosius et efficacius hunc tractare locum, suaderetque ne amplius servum vocaret me consortum et impetii consortem, virtutisque participem et vitæ tunc præsentis, tunc speratæ; sufficiant tamen quæ dixi hæc tunc apud vos, quibus ad obeunda certamina hæc generosa corpora exposita sunt, ut ne dum in hoc sacro spiritalibus donis, ut sociis et consortia laborum, fruuntur, verum etiam in expectata regeneratione, simul cum beatis suis spiritibus regnent, et ut sol colliceant. Cæterum non admodum hæc de re contendam. Appellet ut sibi fas visum fuerit; potentia referciatur, suo quidvis arbitrio ferat, agat; utatur me quemadmodum volet, duntaxat ne vitio mihi vertat innoxia, neque me culpa vacans culpet. Audistis enim quibus de rebus accuset me, quod ali, quod indui velim animale manens adhuc, et dum ab animalibus facultatibus gubernor, necdum in spiritale transformatum. Aliam enim vitam id, aliamque victus rationem, ut in proverbio est, desiderat; nunc vero fluidum cum sim, et sine facultatibus appetentibus constare non possim, quidnam, quæso, delinquo, si naturæ instinctu ciborum et potuum cupiditate teneor? Quam sibi contumeliæ notam mens inurit, quæ hæc eadem mihi suppeditat? Quasi non audierit Apostolum clamantem: « Nemo suam carnem odit, sed eam fovet et fovet ». Quo pacto enim aut initio substitisset, aut postea constitisset, nisi sufficienter aleretur? Quippe statim ac in utero formor, quasi planta vel inter plantam et animal medium quid, per eas secundas quas appellant, sive per umbilicum, aliorum sanguine menstrualis; illinc autem progressum lactis rivulo per mammam nutricor, ad usque dentium ortum. Ubi vero animandi natura capida mihi dentibus os acutis et latis instruxit, ut et secare et conficere facile cibum potuerim, tum denique mensam solidioribus esculentis extruxit; ita sane naturis corporum congenitum est alimentum, eaque nature cognatio est, etsi non est eorum verbis fides habenda, qui lapidibus nonnullos ali alunt, facto tamen credendum est, quod animatorum nullum careat alimento, ut arbores et herbae et quidquid radicibus fultum terra parit, et omnimoda animantia. An vero demones et sidera libamentis illis et odoribus, exhalationibus terræ

* Ephes. v, 29.*

hæc enutriantur, id Græcænicis ac profanis poetis et philosophis dicentibus, haud facile assentiar. Nam illi cœtum dæmonum opinabantur esse corporeum et materiæ voluptatisque avidum, et astris animos tribuebant. Itaque cum animatum corpus omne sit alimentarium, quidquid animatum est naturæ lege nutriatur et vivat necesse est: quod autem non nutritur neque vivit, id ne animatum quidem est. Quamobrem Servator noster non modo quos mortuos ad vitam revocavit edere jussit, sed et ipse mortuus ac jam reviviscens comedit et bibit, argumentum insolubile repetitæ vitæ alimenti perceptionem proponens. Et natura quidem servatrix ita corporis sanguinem procreans, sanguine materno fetus ore nondum præditos, infantes edentulos, lacte perfectos et absolutos, omni genere varietateque ciborum alit; nec, dum crescit, nutritur et educit, adultum vero et jam inhabilem crescendo ætatem attingens derelinquit: sed ad senectutem et decrepitam ætatem usque, tanquam bona nutrix ducenti spiritum adest, tanquam discedens, non noctu, non interdum. Dormientium etenim non quiescit alitrix facultas, sed insomnis et pervigil bonæ nutricis instar, inspiranti præsto est, nunquid non bona faciens? ea certe quæ per os molita in ventrem demittuntur, concoquens ac digerens, primumque in succos convertens, deinde ad jecur attrahens et in sanguinem mutans; illincque per venas omnibus suam cuique portionem distribuens, et cuique congruum et proprium conglutinans; ac multam gratiam Providentiæ huic qua nos administratur, debemus, per quam quæ peperit initio, eadem et in posterum charitate complectitur, nec sinit disperdi dissiparique, alimentis excogitatis ac paratis.

Et natura quidem, ut dictum est, ita format, conformat, coagmentat. Mens autem rationis compos, et corpus incolens, nature contrarias leges constituit, ut alia quæpiam imperiosa domina: et quia quotidianum semper alimentum quero, me gulosam et inexplebile dolam: quia nutrimento lator, luxuriosum et voluptuosum concupat, deliciarum enim finibus alimentum metitur, quod iis quæ comedimus et bibimus natura dulcedinem junxerit, ut suavitate quadam ad gratias et avidius percipiendum cibum alliciamur, nec tristes quotidianis alimentis advehendis confolescamus. Novas enim leges, nova nomina fingit, aliena quædam et absurda, tum legibus ferendis, tum nominibus imponendis decraens, quasi nefas sit, ali cum voluptate, quod talis τροφή τροφή, id est alimentum deliciæ sint. Ego vero quod natura naturæque legibus gubernor, ut alar mihi licere, ex omni necessitate consequentibus et animi hilaritate et voluptate, censeo: nec deliciæ criminabiles eæ sunt, sed earum alimentum et naturæ congruens. Quod si quis oppressus mœrore, vel pane vesci prorsus oblitus fuerit, vel cinerem tanquam panem comederit, et potum cum fletu miscuerit, via ratio hæc

A est, quæ ad propositam vobis quam planiorem agitamus, controversiam non pertinet. Si vero naturalem quæ nutriendo percipitur, voluptatem, luxuriam definit, multo prius quæ in procreandis liberis est, flagitiosam nominabit. At neque nuptialis, neque etiam alitrix voluptas ullis mente præditis crimini datur, quin potius admirationi est. Nam illa de genere quod sensim effluit, successione; hæc corporis inanitatem, alimento supplet ac reparat; itaque neque divina mens a sua decidit ipsius dignitate, neque prorsus contumelia divexatur, ea concedens quæ a natura decreta sunt et sancita; et operam conferens, ac una suppeditans ea quæ sunt præcipua, et maxime corpori necessaria; etsi de talibus hæc erecta fremit, quibusque criminibus aliorum taxat delicias, iisdem ipsa magis deliciens revincitur. Considerate enim, quæso, quanta jactet; contumeliam et servitutem ignobilissimam censet quod initio mei curam gerat, et ad vivendum necessaria comparet; ac dissimulanter cavillatur se præstantioribus adherescendi non esse compotem, et deterioris curam habere, idcirco cujusdam ancillæ opsonatrici et panificis speciem induit, quæ alioqui domina est, et suam studet inviolatam felicitatem conservare.

Atqui si hæc apud alios desidens sermonibus jactaret, fortassis his præstigiis imponeret; non vero cum apud vos nihil recti, nihil sani dissimulet, manifesto indecore facit. Vos etenim qui hic sedetis tacentes, tergiversationes hujus perspicere revincetis, qui nobilitatis imaginis illius, si qui alii bonam vobis partem vindicastis, et absque perturbationibus ac veluti citra materis contagionem in corpuseculis mortalibus vitam egistis: tamen et corporum ex parte curam geritis, apostolica amulatione vobis ipsi comparantes et administrantes idonea; neque corporum talem aversionem tam indigne tulistis, quam animorum a statu meliori lapsum, neque verborum nexus et series vos tam ad commiserationem trahit, quam aureæ catenæ virtutum alia solatio, sed ut per omnia justis, juste, beatissimi iudices, et corporum jura divino præcepto persecuti estis, nec ob id vos deteriores evasisse censuistis, nec ad conditionem coquorum et mensæ structorum descendisse, ut ex mea mente nunc audistis. Etenim equidem, amici Dei iudices, neque conspicio quamquam ex mei cura menti contumeliæ nota inuratur. An vero hera curans ancillas, hæc ratione fuerit ignominiosa? aut gubernator navem oeratiâ instruens, ex hoc periculosius navigabit; aut miles arma recedens et repugnans ac bellatorem aleus equum, imperitiæ rei militaris, idcirco damnabitur, aut inter milites desertores enumerabitur? Quid non ad hos respicis qui in corporibus sine corporis contagione vitam dixerunt, et corpora non oderunt, quin potius accurarunt quantum oportuit, o frustra corpus exosa, contentionisque vane ac inutilis amans? Quid non magis illius recordans Apostoli, qui in hæc

disum usque ad tertium cœlum raptus est, et verba quæ non licet eloqui hominibus audivit; et tamen usque denuo progressus, contumeliæ loco non putavit, suis ipsius manibus coriaceam artem exercere, et suis ac sociorum necessitatibus inserviendo subvenire. Oratione supergrediamur ipsum Paulum, et ejus tertium cœlum; num Deus in suo statu semper consistens ad sese reflectitur, et supra hanc universitatem erectus sedet? Utrumne rerum quæ post eum subjacent nulla cura, nulla providentia tangitur, neque etiam infirmarum rerum nostrarum procuracionem habet? an vero accuratus providenter, de sua ipsius ob id dignitate et gloria quidquam mittit? Quonam igitur modo corpori conjugata mens curam congeniti corporis, indignum se studium reputat, et hanc rebus secundis providentem solertiam repudiat, supra vos efferens sese, quorum etiamnum lumi gradientium conversatio in cœlis est? supra jam cœlum corporibus appetentes apostolos: supra bonitatis ipsius exemplar illud, quod omni carni largitur alimentum: ejus ex similitudine nobilitatem magnifice jactans, non similiter ad inferiorum dignitate providentiam convertitur; et tamen summum illud bonum plusquam plenum et nullius omnino indigens, nullius opus usquam habet eorum quibus providet: hæc vero sæpenumero me et ut instrumento famulari eget, et ut adjuvante causa ac adminiculo, et quo absente nihil generosum in primis perficiet.

Sed fortassis ab his rationibus repressa, se non injuriam dicit ex necessariarum mihi rerum suppeditione passam, sed quod longe supra necessitatem et usum partim insatiabili cupiditate, partim voluptatis aviditate progressum, hanc mecum corripiam, et invitam præcipitem; hoc enim fere dicebat, quando se voluptatibus absurdis mancipari, et meis decipi præstigiis asseverabat. Id vero refutare quoque facile est, ac docere audaxne facinus et temerarium sit, ita sive fastu, sive contendendi studio incitatam, ea in me accusare se nescire, quorum ipsa rea sit, cum oportuisset integere hæc: sed infaustum nihil dicam, admiratione vero dignum est, qui fiat ut sibi contraria loquatur imprudens. Numquid non sursum deorsum versans orationem, Christi famuli judices, primariam dignitatem præ-

tendebat, quod imago divina atque totius ratione carentis naturæ regina esset, ac me famulum, se dominam nuncupabat? Quonam igitur modo repente facta mutatione, sursum versus flumina procedunt fontes, ac ostendere conatur me veluti ducere ac circumducere imperiosius, se autem ut mancipium agi ferrique! et quidquid criminis ambobus delinquitur, id ad me ut auctorem primum rejicit? Quod si ipsa imperat, ego pareo, quanta impudentiæ est alteri sui delicti et peccati notam inurere? Roganti enim mihi respondeo, o reprehendendi et accusandi libidine flagrans, tunc a domino constituta es quæ conservo mutuum præstes obsequium, quod est in evangelica parabola, quasi fide-

lis et prudens administra familiæ, ut des escam in tempore? Qui sit igitur ut non fideliter et prudenter assignatum manus administres, desque tempore et modo cibum, et ut fidelis increpes infidels, ut prudens castiget et emendes imprudens, et omnino potestatem in tibi credits administratione liberam exerceas, et ornes optime? At te corripit violentia tibi subditi dicis, et ad easdem ad quas ipsum inæptias te transversam agi. Talibusne prætextibus censes te, quam male suum munus obeunti minatus est ille, membrorum divulsionem evasuram? Atqui talis opinio vana est et inanis; a principatu enim omni eorum quæ subditi peccant pœnæ exiguntur: sive imperatorem, sive pædagogum, sive parentem, sive doctorem dicas, etsi alioqui probi sint, eorundem criminum rei sunt, ut si vel imperator cum exercitu deserat aciem, aut pædagogus cum puero colludat, aut pater cum filio lasciviat, aut eum discipulo magister inertiae et otio indulgeat, duplici pœna, censeo, horum unusquisque punietur: altera, quod clanculum eum corrupat, quem potius se meliorem redditurum pollicebatur; altera quod eorundem reus quorum ille deprehendatur; ut vice versa duplici venia digni subditi censerentur apud eos qui plus summo jure quam clementer rem dijudicant; altera propter eorum naturam quæ semper ducem et ad honestatem promoventem requirit; altera quod quem ad bonum præfectum acceperat, in contrarium depravantem et provocantem invenit. Nihil vero tam ad virtutem et vitium allicit, quam princeps ea faciens quæ ad alterutrum exhortantur, et exemplo suo ad similia perpetranda trahens; quemadmodum et clara mihi mens duplices dabit pœnas, ut quæ neque quod in homine fuerit inordinatum corripit, quæque collatata fuerit, et voluptatis illecebras simul excitavit. Si vero suffocant aquæ, aiant, quid opus est adhibere? Mihi autem fortassis venia quæpiam dabitur, quod heram consequar, quæ ut ista delinquam me doceat. Qualis enim, aiant, hera, talis et canis. Ut autem clarius demonstratum sit, quod a me non ipsa corripatur ad turpissima quæque, sed ipsa magis ad voluptates abripiat, meque secum pertrahat, me quæso patienter audiatis, ab orationis cursu paulum digredientem, et ad tragœdiarum omnium causam, quam explicare mens erubescit, recurrentem.

Non sinceram, viri judices, intelligentem vitam, et a corporeo sensu ablegatam noster animus sortitus est, sed utrique vitæ ei subjectæ insidet, tum plantariæ, tum vitali, a quibus constitutio nostra corporea gubernata conservatur. Nam dolore et voluptate quasi gubernaculo temperamur; dolore cum inanitate laboramus, aut aliter angimur; voluptate, cum explemur, et nulla perturbatione vexamur, ex opificis naturæ providentia, affectionibus ejusmodi nobis ad salutem ingeneratis. Si enim dum defluimus et corrumpimur, non auferemur, neque dum satiamur lætaremur, ita ut neque cou-

ficientia, neque conservantia sentiremus, subito periremus imprudentia. Nunc vero provida natura quasi manibus duabus utens, fatigatione atque delectatione, illa pungens, hæc inescans, ad edendum et bibendum exsuscitat fugientes esuriendi dolorem, et edendi voluptatem, quod est alimentum, persequentes: verum primario loco, ut qui ex esurie mœror nascitur, amoveatur; secundo, ut saturandi licentia detur. Animus autem rationis compos aliter se nutrire per se novit, et præstantiori quadam ambrosia frui. Verum cum, ut diximus, erga sibi subjectas facultates non intoleranter nec implacabiliter affectum sit, consensu quodam etiam iis patientibus condolescit, et sane cum anguntur simul angitur, et cum lætantur collætatur: vel potius, si rem accuratius definire placet, et ut aiunt artis medicinæ studiosi, primum ipsa rationis consensione patitur, propterea et prima ad amovendum dolorem exurgit, sui causa maxime: deinde, ut est dictum, subditorum juven-dorum gratia. In eo igitur sapientis naturæ providentia fuit, ne maxime principalis animus, supra mala positus emineret impatientis, et sensibus nullas difficultates quæ secundis et inferioribus interveniunt, hauriret; ad eorum enim nulla prorsus curanda converteretur. Si enim ita stimulata, condolescens, et consensu laborans, videtis quomodo pigrescat, delicias faciat, et quæ revera communis est fortuna, ut infortunium deploret, multo minus profecto corpus respexisset, si corporis adversitates eam naturæ decreto non attingissent. Nunc vero, si quidem aliud quidpiam, et hoc quoque constitutum est optime, ut consensione dolorum agatur, et eo simul adducatur, ut, quemadmodum ait quispiam, vicissim et ex parte labores capessat, et molestiarum liberationem communiter conquirat. Quibus enim quorumlibet incommodorum communio est, iisdem communiter et ab iis liberatio curæ est.

His ita demonstratis, in eundem locum iterum recidit oratio: ac superius expositæ memores estote parabole, in qua fidelem et prudentem dispensatorem suum dominus constituit, ut sibi obsequatur, dando suo tempore cibo, numquid non ad animi partem rationis participem accommodate fidelem et prudentem œconomum assumpsimus, ut quæ præclare possit ex abundantia prudentia gubernare patibilem et amentem vitam? quam etiam in eo munere constitutam dominus beatam prædicat, si prudenter et fideliter administret, ac plura se commissurum ejus fidei pollicetur: sin autem domini ut moram facientis oblita, conservos pulsare contumeliose, non providenter, cœperit, totamque se comedendo ac bibendo fruendis voluptatibus dederit, cum ebriosis, partes dico tum quæ alere, tum quæ ali possunt, quæ extrinsecus allapsis satiæ-tatibus semper referuntur, utrumque, cum redierit dominus, qualia nunc coram vobis, prætexet, ac hujus insolentis contumeliæ causam in nos trans-

ferens, quasi decipiamus, et eos vi corripiamus, perversi servi supplicia defugiet? Nonne discerp-tur, et sors ei cum hypocritis constituetur, ut quæ tanquam in theatro, hæc vita, personam cujusdam matronæ sanctæ et divinæ induta fuerit, et omnem incuriam ac dementiam initio dissimularit, libere vero omnibus nefandis voluptatibus servierit, et ut intemperans ancilla, indecore se gesserit et turpius inebriarit? quod puto. Nam ei cunctis facultatibus præfectæ hæc cura demandata est, ut et sagaciter molestiam exhibentia provideret, et idoneam medicinam adhiberet, ut illinc perspicuum est: si quando enim mens in curandis rebus divinis excessu nimio, vel, me nescio, morbo corripitur, qui cogitationis non movendas chordas moveat, nec esuriet, nec alimenti, nec alius voluptatis memor sit, tum ego quoque nulla harum rerum cura, nulla sollicitudine tangor: quoniam igitur modo primas ego partes teneo, et procurandi et dandi cibos, et tempus eorum ac modum defluendi munus sortientis voluptates præcipio, deindeque ipsam, quod est magis ridiculum, ad eas corripio? Ita mollis ipsa est et delicata, ego vero robustum ac violentum.

Verum enimvero ne singulis partibus renitens defensio contentiosa videatur et pertinax, tua gratia concedo me primum voluptatibus inhiare et compleri, insuper te quoque ad voluptates fruendas a me corripere: tu postea domina, et rebus nostris imperans, cum oportet puniendo cohibere, et infensam esse liguritioni, vehementiusque increpare, potius ad eandem turpitudinem suscipiendam ut mancipium una proolveris, et illa gravi, sancta rigidaque dignitate humi prostrata, de qua gloria-ris et magnifice sentis, mecum voluptati captiva servaque voluntaria constringeris. Nec te pudet pati profitentem eadem, quæ fabulosus ille serpens, cujus caudam de capite aiunt conquestam esse, quod motionis repetitæ dux semper esset, ipsa totius molis se convolventis attraheretur extrema. Tandem vero ad persuadendum aggressam, ut in hoc serpendi munere principatus sibi deferretur: deinde per præcipitia saxaque cum cæca ferretur, ipsum caput et reliquum serpentem cum eo labefactatum fuisse. At quemadmodum illic, siquidem de cauda caput conquestum fuisset, eam accusans injuriæ, ridiculum et stolidum videretur: ita etiam tu quoque in hac causa, et quæ animi parti rationis experti, caudam trahenti et cæcæ (nam mens, ait quispiam, videt), ductandi cedas imperium, et teipsam ejus fidei committas, quod ad perniciem pertrahat. Videntes enim cæcorum, non cæci videntium dices suat; et bos currum, non bovem currus trahit, et lapis ad perpendicularum, non perpendicularum ad lapidem componitur. Quid vero puto, contra proverbii præceptum, gladium committis? quis venenum propinatum combibens, majus quippiam ad se excusandum vel defendendum habuit, quam mortis deprecationem? An primus

homo a muliere prima quæ de perniciosa gustaverat arbore, posterior accepto cibo comedens, veniam apud Deum meritis est: aut ut vi correptus mortem effugit? Cupiditas enim et ira sub animum rationis participem subjectæ sunt; non ut ad voluptatis suavitatem illa delabens, secum ipsa contrahat, hæc vero ad ferinam sævitiam erumpens, secum abducat, sed ut ad captandam et habendam honestatem convenient et conspirent: cupiditas, ut equus frenis bene moderatus, sublimem efferens, et ad vere desiderabilia concitans; ira, veluti generosus canis, una pro iis et adversus ea quæ oportet belligerans et propugnans; utraque nimirum a ratione per diuturnam consuetudinem ad bene parandum et obediendum domita atque cicurata. Verum mens alioqui temulenta facta, et valde suæ strenuitatis negligens, effeminatur quasi vecors, et deteritur, ac quantum a constanti immobilique concentu decedit, tantumdem ad curram perturbationum accedit: quantumque paulatim ab imperando desciscit, tantum illa servituti mancipatur. Itaque nulla vi cogitur, nec ad peccandum et delinquendum invita rapitur, sed quod Herculem passum fuisse fecisseque Græci ac profani scriptores testantur (ferunt enim illum post belluas et sceleratos homines perdomitos, postea volentem Lydæ femine, Omphalæ nomine, serviisse), idem mihi videtur mentis ratio perpeti. Nam quæ sunt in homine belluinae malignæque perturbationes, cum eas sub suam potestatem subicere posset, libens tamen voluptati animique appetitionibus servit: vel etiam ut alter primas, magnus ille Samson ab insidiatrice muliercula, eadem voluptate decepta, suum magnum robur ridicule prodit et nuda, ac non jam ipsum veluti comam jactans, facile a perturbationibus alienigenis captiva ducitur, et excæcatur oculis ad honestas res et bonas perspicacibus, pistrinoque illigatur, et circum eundem voluptatum orbem, quorum initium est et veluti stimulus ventris ingluvies, innumeras ærunas perpetiens convolvitur, et quasi lascivis pueris, cupiditati et iracundiæ ludibrio est. Ita mens sponte se malis immergens, ipsa sibi contumeliæ genus intorquet, et undique cooperta miseriis, indecore lascivit: deinde ob hoc voluntarium infortunium de se conquesta, suæque deploratione calamitatis defuncta, mihi crimen intentat et malorum causam attribuit, et, ut videtis, pœnas exigit; ac conviciis aspergens, quid non in me cavillatur, quid non irridet? Sepulcrum me vocat, catenam, fæcem imam, et ex Chaldaicis nugis, materiæ sordes et quisquilias, dolium pertusum, crucem. Atqui si vere sum ego monumentum, qui sit ut non huic persuadeam ad Dei similitudinem effictam mortem studiose meditari, sed ad delicias, quod ait, pertraham? si catena, qui sit ut non comprimens a peccando cohibeam, sed ad nefandam inertie licentiam corripiam? Quæ catena non arceat ab injuria et maleficio, sed eo vinctum vel invitum

A compellit? Quod monumentum non membra quæ sunt super terram mortificat, et animæ vitam omni ex parte beatam largitur, sed potius vivificat et adversus animam exsuscitat? Aut igitur ego neque sepulcrum, neque catena sum, siquidem ad delicias corripior, et una pertrahor: inconsiderate et inaniter talibus cavillis illudor; aut monumentum revera et catena sim, ac magnæ hinc incontinentiæ seipsam mens ream facit, quod et illigata mihi et consepulta delicietur, et vivens mortua sit, ac supra modum extollitur, tametsi crux ego sim ei data: hoc enim nomine me quoque libens appellat, ut etiam dolium pertusum, dissimulans quot et quantorum honorum ego sim conceptaculum, ut non multo post de multis pauca degustans sum demonstraturum. Si vero pertusum quoque sum, ac certe sensuum meatibus omnino specularibus, luciferis et nuntiis comprehensionis rerum, ut id etiam statim apparebit, quod per hos hauriens et sese referens in me veluti temulentiæ pristinae vomitum effundat, et turpissime debacchetur. Tu meos sensus, et eorum facultates maledictis vexas, speluncas et lustra ferina cognominans, quorum opera maximis affecta beneficiis ita ingrato et immemori animo es? Nonne discendi artibus tanquam pontibus, ut ad res contemplandas quæ sub intelligentiam duntaxat cadunt trajiciaris, usa es? Quonam pacto eas initio sine meis sensibus comparasses? Arithmeticanne aut harmonicam disciplinam habuisses unquam, nisi auris exstitisset; an numerorum proportionem, aut geometriam, aut astrologiam, nisi lumen oculorum eluxisset? an doctrinam de pulsibus et medendi scientiam, nisi tangendi et gustandi sensus tibi viam patefecisset? Meis igitur sensibus ablatis, tuis convulsis pontibus, quid tibi reliquum aliud supersit, quam humi, et inter res sensibiles volutari, vel ne has quidem in totum attingere, neque quantum terræ medullium est, vita sentiendi compote frui, sed sola si res ita ferat, plantaria; et tum vere sub monumentum carceremque cæcum defossa, materiæ sordibus submersa, et profunda illigata faci, cæcam talpæ aut enjuspianæ plantaminis vitam trahas, me solum, ut ipsa comice perstringis, ostreato indumento circumdata? Nunc vero te certe cæcutientem ab ortu ad cognoscendum oculatam feci, ad philosophiam admovi, et degustato lumine, per ipsum ut terræ concretionem, maris refusionem, cœli conglobationem, et omnia quæ sunt in cœlo miracula tanquam in speculo intuereris, concessi: utque partibus omnibus concordem concentum, qui ineffabilibus sonis opificem conclamat exaudieris, et ex rerum creaturarum magnitudine, pulchritudine, concinna motione, movens illud immobile, et primum et ipsissimum bonum informavi, et ad ejus exemplaris primarii imaginem facta fueris, memoriam renovavi. Atqui hoc præclarior quid menti possit accidere, quam ex iis quæ meis sensibus hauriuntur

tur, Deum reperire? Nec solum ita per me A primum ad Deum ascendit, sed etiam a Deo delabens, ea per me rursus redit. Nam per me poenitendi et veniam impetrandi locum invenit; si enim a me disjuncta et extra corpus fuerit, ne poenitere quidem peccati primum potuerit, ut neque qui deciderunt angeli; nunc vero mea conjugatio hoc quoque bonum ei largita est. Quantas enim et quotcumque turpitudines asperserit, eae meis sudoribus eluuntur, et nive candidius clarificantur; nam supra herbam omnem abluentium, et præter byssopi quamvis aspersionem exstat ea quæ diffuit e meis, ut ipsa dixerit, speluncis, ut ego, fontibus pellucidis, lacryma, inedia, humi cubitus prædurus, flexis genibus deprecatio, in precibus defixa immobiliter constanterque intentio, pectoris percussio, e pectore prodiens gravis fumus, interioris inflammationis indicium, aliaque ex quibus multipotens poenitendi miscetur medicamentum. Tot numero bonorum novi recondere thesauros ego, ex mentis meæ sententia pertusum, et nihil continens dolium.

Sed inepte fortassis et præter decorum apud vos quibus talia trita sunt, singula dicendo persequor: itaque summam et paucis ostendendum, quod quæ mihi a mente vitio vertuntur, ea potius passus sum quam fecerim; quæ autem facio natura ducit, quæque conicio hæc sunt. Philosophia enim per quam ad Deum attollimur, in contemplationem et actionem secta, siquidem contemplatricem ea vitam amplexetur, per me naturæ opera perspicit, et per disciplinarum pontes ad eas res quæ ratione intelliguntur transmittitur, et postremo, quod aiunt, ad ipsum theologiæ limen volando conquiescit: sin præ contemplandi pontibus, agendi scalam malit, hic etiam magis me laboribus propriis ædificans, omnes actionum genus invenit. Dicam, quod omnibus eminet, per me ab angelis paululum diminutus homo, multum supra angelos excellit (quis enim angelorum possit quæ Deus passus est, et ut homo mortem imitari potuit?) per me utique cæsum, tortum, laniatum, et postremo morti traditum, et diviso corpori Servatoris conformatum: in quo et peccatum condemnavit, ut in nobis Dei justitia compleretur. Quoniam autem et mens sciscitatur ex me, quando quaque ætate sibi subjectum esse possim, ego nihil cunctatum ita simpliciter respondebo: Equando non possum, quaque ætate sum inobsequens, ipsa sive bonum, sive pravum sit, me ducendo vocet? ut ex artibus perspicue liquet. Nactum litterarum studiosam et amantem honestatis mentem, pedagogos sequor; magistris pareo, in scholis et auditoriis assideo, et de liberalibus disciplinis et doctrinis quid inculcatum non exprimo? Kursus sum ego mentem exercendis artibus illiberalibus aptam sortitum? Doccor iterum ædificare, aut lapidibus struere, aut stans

subjectis hæcudibus obstrepentibus fabricare; aut guttulis a terra exsulantibus collectis stagna conticere, aut contra sævos ventos, furentes fluctus oblectari, nonnunquam etiam in profundum deorsum verso capite, natans teror, et militariter disjectum et scissum ictibus omnibus obsto, ne dicam ad quas exercendas artes vanas et inanes vi coactum instituor, cum præstigiatoribus execrandis subjicior, doceorque funem extrinis pedibus scandere et ambulare, subjectis pugionibus tripudiare, capite demisso salire, lapillos et ferri particulas devorare; atque rerum ita difficilium atque miserabilium, et alioqui operosarum quam non a puero exercitationem conficio? Vigentem attingens ætatem me pertinax et ambitiosum præsto; eam excedens ætatem, nihilo minori conatu elaboro; corroboratum et senescens, addiscere non cesso etiam quod excogitatu sapientius sit quam quæ juvenes moliantur; et ut in universum dicam, nihil est quod arte parari, quod doctrina tradi possit, ad quod non adduear, nihil factis, nihil dictis menti volenti repugnans, ut neque animantium subjugalium et inanimatorum instrumentorum obsequentissima quæque. An etiam ad obscunda virtutis munia, illis longe jucundiora, facilia, naturæ congruentia, ineptum et adversarium, et veluti repugnans, seditiosum, hostiliter sum affectum? At id tibi dicenti non erederent egregii victores illi martyres et hi iudices virtutum cultores, qui corporum certaminibus incorporeorum naturas exsuperant. Verum tempus est, ut eorum quæ diximus summa capita recenseamus, et opportuniora congruentioraque percurramus.

Accusatrix mea mens convicta est, nihil sani vitio vertere, sed frustra insurgere mihi, et quæ incuipata sunt accusandi studio et calumniose, quæque mihi permittuntur a natura, culpæ. Defensione mea comprobavi, nullam aut injuriam aut contumeliam me domitæ famulum, imperatrici obsequens, instrumentum ei quæ suo me arbitrio utatur, inferre potuisse: sed ipsam potius sua socordia torpescentem, et imbecillitate mollescentem, malam evacere; et cum oportuisset integere, hanc etiam pueras exigere. O calamitosum et miserum me! Quis pareet, quis miserebitur, eum etiam cognata mens et mecum conjugata non miseretur, neque meis afflictationibus referta satietur? sed præter ea quæ nunc patior, et in posterum patiar ejus opera, insuper aliud recentius excogitat, inquisitiones, lites et contentiones; tribunalia, diros tortores, quasi non ex quæ miserum patior ipsa peccante sufficiant. Dei aequalitatem fastuosa concupivit, et statim ego mortalitate sum interceptum, et ad pulverem matrem reversurum: ne quæ medix interveniunt calamitates et obscenitates memorem, nuditatem, ficulnea velaenta, et coriacea indumenta, aculeatarum spinarum et tribulorum acies. Invidia rursus conflagravit, et mihi tabe liquefactus vultus concidit: ubi vero

fratrem exosa fratrem est ausa trucidare, ego statim tremulum et queribundum ac imposito signo notatum et convictum vagabar. Impegit mens in legislationem, vel prophetiam, vel sacerdotii dignitatem, et mihi maledicentiæ supplicia firmiter inhibentur, ac statim leprosum efficior. Ipsa angelo fausta nuntianti diffidit, et mea lingua silentio compeditur; hæc astu feminæ malæ decepta est, et ego execoror, et in pistrinum detrudor. In pauca multa contraham: aut sum cum mente colligatum humili ac illiberali, et nocte dieque sustineo continuos labores, ad quotidianum cibum cumque parcum et tenuem, ad lænam, vel substrictam quamdam et brevem tunicam, vel legendis humeris penulam comparandam: aut cum vitam voluptuosam amplexante, et multo deterioribus malis affligor, dum singulis horis inexplebiliter in ventrem inferior, et immodicis cibus, potibus, rebus venereis distendor et rumpor; hineque quot morborum agminibus obductor! Aut enim ad lectum decumbens, aut ut attonita quædam ruina languesco, aut febre colliquesco, aut articularibus morbis pedum et manuum torqueor: tum et carnificibus medicis mercenariis curandum medicamentis et laniandum, nonnunquam etiam tortoribus

inhumanis demeribus, exponor. Mecum hanc vitiorum tragediam agat ille vocalissimus Apostolus, quæ, mente omnes habenas et frena laxante, in me peccando conferunt scortatores immanes, et quotquot contra naturales usus accenduntur, ut me ignominia notent insolenti: quoque modo pessime corrumpendi, me templum Dei corrumpunt, meaque membra quæ sunt Christi membra, scortatorum membra faciunt. Cæterum non his mens nullorum non malorum memor contenta est, sed vos supplex rogat et obtestatur, ut sibi licentiam delis utendi me suo arbitrio, torquendi, facere necandi, in exitum Satanæ tradendi. Nescit enim sapiens, se plane desipientem in ea incidere quæ sunt in proverbio: Capram ferre non possum, mihi bovem imponite. Nam si quæ in nobis ex inordinata materia ægritudines adnascuntur, eas ut decet philosophum non fert, indignatur, et gravia se pati censet, quid non esset passa, si mecum ira divina calamitates illatas accepisset, in fastu inflata superbit. Verum hæc ex vestro dependent arbitrio, et quidquid visum vobis fuerit, in eo tanquam in divina sententia, tum quæ facienda, tum quæ non facienda sint desumente, nos quoque acquiescemus.

JUDICUM SENTENTIA.

Vestras utriusque vicissim cum orationes audiverimus, tuam, mens rationis particeps, quod tibi subditum est, ut intemperatum et inobediens accusantis: tuam rursus, pars animi ratione carens, defendentis te nihil delinquere ut animus intolligens temere calumniatur: nobis autem de utriusque orationibus arbitria facienda sunt, et controversiæ sedandæ, ne frustra nostram et contemplandi studio debitam vitam interruperimus, hic sedentes, jam dicimus quæ ex longis experimentis et a divinis Scripturis accurate didicimus. Hanc itaque sententiam ferimus: Si carnis sensum, o mens, accuses, ut rebus honestis ac virtuti consentaneis adversarium, et tibi obediendi impotem, imprudens in Manichæorum opinionem delaberis; existimaverunt enim execrandi illi, intelligentem animum opificium esse boni, rationis expertem, mali: et ideoque neque virtutem capessere, aut grata et opificio bono convenientia sentire posse. Sin ipsa hoc

perantiam accusas, ut ne teipsam quasi non insipienter modereris, sed divino tibi munere concessum administrum perpetuo criminareris, culpas quod merito culpandum non est. An non imperator doctor, magister cujuscuque is fuerit, ipsi rationem reddunt, et pœnas launt eorum quæ, qui ab ipsis ducuntur, magistrorum incuria atque negligentia peccant? Id ne sapientes quidem externos latuit: siquidem philosophorum apud illos quidam, adolescentem conspiciens lascivientem et flagitiosum, nullum in eum maledictum contulit, sed pedagogum percussit, inquiens: Quid enim talia doces? Sin autem dicas, magnum illum Paulum, in Epistola quam ad Romanos scripsit, carnem accusare, audi quid velit, et ad quid hæc Apostolus loquatur. Nam ante Domini adventum et mors terribilis erat, terribilis, et mortis imperium habens: propterea et apud Isaiam siebant: « Etiamus et libamus, cras enim moriemur ».

* Isa. xxii, 15.